

DE REDUCTIONE HORARVM MINORIS HORO-  
logij, atq; etiam aliarum, ab ortu, vel occasu Solis initium sumentium,  
ad horas Astronomicas, & econtra.

C A V P T X V I I .

**H**orologium Astronomicum 24. horis æqualibus constat, quæ illicò à meridie, quolibet die incipi-  
unt, & in ipso meridie, sequentis diei desinunt. Ad has horas omnia in Ephemeridibus compre-  
hensa referuntur. Vñ minoris horologij in Germania creberrimus est. Principium autem nume-  
rationis eius accipitur statim à meridie cuiusvis diei, & extendit se vsq; in medium noctis. Quod tem-  
poris intervallum duodecim æqualibus horis constat. Vicissim postea à medio noctis vsq; in meridi-  
em numerationem suam continuat, ac iterum eandem spacio duodecim æqualium horarū determinat.  
Sed reductio huius horologij ad horas Astronomicas admodū facilis est. Et econtra horarū Astrono-  
micarū ad horas minoris horologij. Cōveniunt enim inter se exactè vsq; in medium noctis. De reliquo,  
etli quædam alteratio incidit, tamen ea exigua, vel omninò nulla est, si rationes sequentes proponuntur.

Horæ minoris horologij.	Horæ Astro- nomice.	
1	13	Ex his rationibus patet horæ quartæ minoris horo- logij, quæ post medium no- ctis sonat, horas Astro- micas 16. respondere. Et è cōtra horis 16 Astronomi- cis, horā 4. minoris horolo- gij, quæ post medium nos- ctis sonat, equiparari. Sic de cæteris quoq; horis sibi in ordine oppositis, status eandem est.
2	14	
3	15	
4	16	
5	17	
6	18	
7	19	
8	20	
9	21	
10	22	
11	23	
12	24	

Eclipsis Lune, quam anno domini 1556. die 16. Nouembris  
Horis Astronomicis 14. minut. 43. circiter puncta 4. posuimus: idq;  
colore nigro, ac cinereo, mixto albedine: per reductionem uenit hora  
minoris horologij 2. quæ post medium noctis numeratur, cum mi-  
nut. 43. Huius quidem temporis annotatio, secundum uulgarem con-  
suetudinem ad summum mane diei 17. refertur. Id quod in secunda  
parte operis nostri Eclipsium copiosius tradidimus. Ibi enim non  
tantum medium, uerum etiam principium ac finem eclipsis accuratè  
descripsimus: Quæ ex eodem loco desumpta sic se habet.

Eclipsis Lunæ.		H. M.	
}	Principiū	1 38	Singulis relatis ad sum- mum tempus matutinum diei 17. Nouembris.
	Medium	2 42	
	Finis	3 48	

Hæ sunt horæ  
minoris horolo-  
gij, quæ post me-  
dium noctis nu-  
merantur, quibus  
H. M.

Horæ Astro- mice respondēt.	H. M.	
13	38	Tempus principij Eclipsis.
14	43	Tempus medij Eclipsis.
15	48	Tempus finis eclipsis.

Singulis relatis ad tempus  
pomeridianum diei 16.  
Nouembris.

Hanc Eclipsim Lunæ ad Augustam Vindelicorum supputatam, cum ad Antuerpiam re-  
duco, per subtractionem uidelicet minut. 33. quæ sunt ex indice nostro differentia inter  
meridianum Augustanum & Antuerpiensem consequitur.

Principiū		H. M.	
}	1	5	Singulis relatis ad sum- mum tempus matutinum diei 17. Nouembris.
	2	10	
	3	15	

Hæ sunt horæ  
minoris horolo-  
gij, quæ post me-  
dium noctis son-  
nant, quibus ho-  
re Astronomice  
respondent.

Horæ Astro- mice respondēt.	H. M.	
13	5	Tempus principij Eclipsis.
14	10	Tempus medij Eclipsis.
15	15	Tempus finis Eclipsis.

Singulis relatis ad tempus  
pomeridianum diei 16. No-  
uembris.

Huius Eclipsis tempus, accuratè à me obseruatum, præsentè D. Marquardo Rosenbergero patro-  
no meo colendo, euidenter nostrum calculum approbavit, eorumq; errorem conuicit, qui aliam ratio-  
nem sequuti sunt, eo fortasse consilio, ut explorarent, quantum inuentis recentiorum sit fidendum.

Maius porro horologium, cuius vsus est in Italia, Bohemia, Morauia, Silesia, Polonia, &  
alijs locis circumiacentibus, etiam 24. horis æqualibus constat, ut Astronomicum horologium.  
Sed quemadmodum numeratio illius statim à meridie alicuius diei incipit, ac iterum in me-  
ridie alterius diei terminatur: Ita huius quoq; illicò ab occasu inchoat, ac se vicissim in alte-  
rum occasum extendit. Reductio autem eius ad horas Astronomicas facilis est. Si enim

per